



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 110. Rainutii Pallavini Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. CX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1712.*Rainutii Pallavicini Cardinalis
decessus.*

Hunc fatali mortis necessitate sequebatur Rainutius Pallavicinus Parmensis Comes, qui magni nominis Magistris traditus, egregium in humanioribus literis, Philosophia & Jurisprudencia tum Canonica tum civili profectum fecerat, Adolescentiam egressus, & Monachii in Bavaria ab Electore perbenigne exceptus, Doctoratus insignia retulit, librumque, cui titulus: *Imago magni Principis* typis edidit. Paulopost in patriam reversus, in nobili *Judicum* Collegium recipitur, & in Ecclesiæ Cathedralis Canonicum assumptus, Romam contendit, ubi inter Aulæ Pontificiæ Præsules receptus, primo plurium Urbium Governator, postea Melitæ Inquisitor, ac rursus Romam revocatus, S. Concilii Congregationi a secretis, Romanæ Urbis gubernacula tenuit: brevi tamen cum Martinizio Cæsareo Oratore in contentionem venit, eoquod in publica supplicatione primum post Cardinales locum alias solis Principum Legatis proprium occupasset, quæ etiam controversia, nequidem Martinizio Viennam revocato

Gg 2

se-

Sæc. XVIII. sedata est: Mortuo enim Innocentio XII
A. C. 1712. Clemens XI. Cæsari minus adductus

Pallavicino Legatos in publicis functionibus præcedendi jus publico decreto asseruit: Vix hujus contentions æstus deferbuit, cum acrior molestia Gubernatoris muneris pedissequa, Pallavicinum insectaretur; ubi enim Michaelem d'Avalos Marchionem de Vasto Cæsareæ partis studiosissimum Pontificis jussu judicii acta intruxerat, tantam invidiam in se concitavit, ut Imperator Pontifici viginti septem querelarum capita objectaret, & Pallavicinum non modo a Romana Purpura excludi, sed & omnibus Pontificiis conditionibus expelli peteret: Leopoldo demum Cæsare fati functo, cum Josephus Imperator Cusanum & Saxoniam Cardinalium Collegio subscribi ardentem exoptaret, abolita pristina indignationis memoria Pallavicinus Purpuram obtinuit, qui tamen humanarum rerum tædio affectus, totum se Deo consecravit, atque ab omni Aulæ strepitu abhorrens, vitam ab oculis hominum vix non remotam aliquandiu egit, donec apoplectico afflatus obrutus, & per plures septimanas, rationis, omniumque sensuum usu destitutus, denique die trigesima Julii decederet, annos natus octoginta & unum.

S. CXLI